







10256a  
b.

1787, 18.

DE  
**APPROPRIATIONE FEVDORVM**  
 SINE CONSENSV SVCCESORIS  
 IN DOMINIVM DIRECTVM  
 NONVNQVAM INVALIDA

ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS  
 AVCTORITATE

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO RAV**

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
 ASSESSORE TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE ET  
 DIVERSIS REGVLIS IVRIS ANTIQVI PROFESSORE  
 PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS  
 IN VTROQVE IVRE OBTINENDO

AD D. XXII MARTII A. C. N. CIOIDCCLXXXVII

D I S P V T A B I T

**CAROLVS FRIDERICVS CARL**  
 ADVOCATVS ELECTORALIS SAXONICVS

LIPSI AE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

*Herrn Christian Rave  
 von Gütshmid*





DE  
APPROPRIATIONE FEUDORVM  
SINE CONSENSV SVCCSSORIS  
IN DOMINIVM DIRECTVM  
NON NVNQVAM INVALIDA

ILLVSTRIS IVRIS CONSULTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
K O L D E

D. CHRISTIANO RAV  
SVPREMAM CVRIAE PROVINCIALIS ECCLESIASTIAE IVRIDICAE  
ASSESSORIS TITVLORVM DE VTERVTRIVM SIGNIFICATIONE ET  
DIVERSIS RECVLIS IVRIS ANTIQVVS PROFESSORE

PRO GRADV DOCTORIS  
IN VTRQVE IVRIS OBTINENDO  
AD B. XXII MARTII A. M. C. DCC. LXXVII

D. I. S. R. V. T. H. A. B. I. T. I.  
CAROLVS FERDINANDVS GART  
ADVOCATVS ALLEGORVM A. M. S. A. K. O. N. O. V. S. P.

EX OFFICINA REGIA  
LITTEAE

*[Handwritten signatures and notes]*





I.

*Quibus modis feudum finiatur? Consolidationis in uniuersum  
et in specie appropriationis notio.*

*Refutatio feudi quid sit?*

**F**euda quemadmodum diuersimode constitui et acquiri solent, cum Vassallus aut per inuestituram, iusto tamen titulo antecedente, aut per successionem, aut per praescriptionem beneficio potiatur, ita etiam constat, variis modis illa fini atque exstingui posse. Quotiescunque enim res in eum statum peruenit, vt quod antea, quam diu vinculum beneficiarium durauit, feudi dominium penes duos erat, nunc non amplius diuisum sit, sed in posterum ad vnum tantummodo pertineat, vt is plena rei olim feudalis gaudeat proprietate: toties manifestum est definire nexum feudalem, mutuaque Dominum directum inter et Vassallum ratione feudi contractam obligationem dissolui. Itaque siue Vassallus propter delictum contra fidem et officia Domino debita, aut etiam aduersus alios, quos Leges feudales a Cliente sub iactura feudi violari nolunt, admissum, quod proprio vocabulo feloniam vocant, beneficio priuetur, siue res in feudum concessa intereat, veluti si terrae motu aliaue ratione periisset, modo tota ac perpetuo interierit, cum parte illius tantum interemta, feudum in reliqua parte subsistat, maneatque e.g. area feudalis, aedibus licet igne consumtis, eaque restitutae a Vassallo feudales sint, vt omnes censent interpretes a IO. HENR. KLOTZIO <sup>a)</sup> adducti, siue feudum iure belli in alterius Domini, prisco illo nexu, nisi forte e pacis conditionibus res feudalis in pristino statu relinquenda, haud adstricti potestatem perueniat, quemadmodum Alsatia et Lotharingia prouinciae Germanicae a Gallis hostili vi occupatae feuda Imperii esse deserunt et in corpus honorum Regni Galliae sunt reductae, siue denique dominium haecenus diuisum inter duos vni tantum ex illius

A 2

posses-

a) In Dissert. de feudo aedificii ap. GOTTL. AVG. IENICHEN in Thef. iur. Feud. Tom. I. p. 926.



possessoribus integrum accedat: semper adest modus, quo feudum finitur fiatque solutio vinculi illius, quo Dominus et Cliens hucusque sibi inuicem copulati sunt. In omnibus enim his speciebus res, cuius contemplatione nexus feudalis contractus ante fuit, aut plane non amplius extat, aut re licet incolumi, saltem forma feudi exstinguitur. Posterius quando fit, dominium vtile cum directo coniungitur, siue iam Vasallus plenum dominium consequatur, siue Dominus vtile, quam vtriusque feudi domini directi et vtilis in vna eademque persona coniunctionem in sensu latiore consolidationem et in feudis publicis incorporationem, de qua AHASV. FRITSCHIVS <sup>b)</sup> peculiarem libellum scripsit, appellant, et cum illa acquisitio vtriusque domini duplici modo contingere possit, quando Dominus nanciscitur dominium vtile, idque coniungit cum directo, id consolidationem in specie, quando autem Vasallus dominium plenum acquirit rei que proprietatem, id appropriationem feudi itemque transmutationem feudi in allodium, germanice *Lehnsuererbung*, et *Eignung* vocant. Non iam vacat copiose disquirere, quando consolidationi feudi in specie sic dictae locus esse queat. Satis enim constat, feudum non prius consolidari posse, quam Domino apertum fuerit, idque fieri posse, aut si tempus, ad quod feudum nominatum constitutum, praeterlapsum, aut ius beneficium concedentis resolutum sit, aut si Vasallus absque vilo successore feudali, qui vel in primi acquirentis vel in simultanea inuestitura, vel in pacto confraternitatis rite inito et confirmato, comprehensus est, vel etiam cuius succedendi ius alio legitimo titulo nititur, mortuus sit, aut si Vasallus tum in Dominum tum in alium feloniam, quam feudi iactura sequitur, commiserit, aut si feudum in manus Domini simpliciter, siue nullius neque agnati neque extranei in commodum refutauerit, aut denique si Dominus directus vtile dominium praescriptione consecutus sit. Nec immorabor speciebus singulis commemorandis, in quibus ex ratione peculiari consolidatio feudi aut prorsus impediatur, aut saltem non nisi ad tempus locum obtinere possit, quoniam in feudo, quod Domino vel per feloniam Vasalli, vel per refutationem non consentientibus agnatis factam, vel per praescriptionem, quae his non nisi a tempore delatae succed-

<sup>b)</sup> de vniõne et incorporatione honorum.



fucceſſionis cūrrit, apertum eſt factum, praeiudicium inferri nequit iuri  
 ſuccedendi agnatorum, quandoquidem veniente ſucceſſionis caſu feu-  
 dum conſolidatum a Domino reuocandi poteſtate gaudent, quae mo-  
 menta etiam diſcrimen inter conſolidationem feudi perpetuam et tem-  
 porariam pepererunt. Quemadmodum enim rationes conſolidationem  
 feudi impediētes perilluſtris GEORG. LVDOV. BOEHMERVS <sup>c)</sup> dili-  
 genter expoſuit; ita ſingulas ſpecies, vbi temporaria feudi conſolidatio  
 locum ſibi vindicat, non ſolum Interpretes iuris feudalis iam in clemen-  
 tariis libris breuiter annotarunt, ſed et, qui argumentum hoc data ope-  
 ra traſtauit, IO. GODOFR. BAVERVS <sup>d)</sup>, plenius excuſſit. Illud tan-  
 tum licebit annotare, quod potiſſimum conſolidationem feudi per reſu-  
 tationem attingit, omnino permiſſum eſſe Vaſallo reſutare, id eſt, vt  
 CAROL. DU FRESNE <sup>e)</sup> explicat, repudiare Dominoque reſignare feu-  
 dum, quod ob morem olim in traditione rerum immobilium vſitatum  
 feſtucam in ſignum poſſeſſionis tradendi, de quo FRIDER. A SANDE <sup>f)</sup>  
 quaedam notauit, vocabant etiam feudum eſſeſtucare. Adeo inuito  
 atque nolente Domino haec reſutatio feudi fieri poteſt. Quamquam  
 enim caeteroquin nemo ſe ab obligatione ſua, inuito eo, cui obligatur,  
 liberare poteſt L. 100. D. de Reg. Iur. hic tamen textus Iuris feudalis  
 Longobardici II. F. 14. 38. 39. 44. 49. exceptionem fecerunt. Et hanc  
 reſutationem interdum vtilitas ſuadet, vt nempe Vaſallus onus reſicien-  
 di effugiat, interdum neceſſitas poſtulat, vt adeo nonnunquam poenae  
 nomine imperetur, velut ob inſignem feudi deteriorationem, ob ſum-  
 tus negatos ad damnum auertendum neceſſarios, et ob nimiam in ſub-  
 ditos faeuitiam, quae potiſſimum exempla IO. PETR. A LVDEWIG <sup>g)</sup>  
 et CAROL. GOTTL. KNORRIVS <sup>h)</sup> annotarunt. At ſimul tamen tem-  
 peſtiue, neque forte in caſu iſtantis periculi, et ſine dolo malo feudum  
 reſutari debet. Vnde magnopere improbata eſt, quae quondam in Ger-  
 mania inualuerat praua conſuetudo ex morum ferocitate, quemadmo-  
 dum

A 3

dum

c) In Diſſ. de impedita feudi conſolidatione cap. II. §. 13. ſeq.

d) In Diſſ. de feudi conſolidatione temporaria.

e) In Gloſſar. med. et inſim. latinit. ſub voc. reſutare.

f) de Eſſeſtucatione cap. 2. in opp. fratrum SANDIORVM.

g) ad BURCH. GOTTH. STRVVIJ Iuriſpr. Feud. cap. XXI. §. 2.

h) In Diſſert. de Reſutatione feudi poenae loco imperata, §. 7. 8. 9. ſeq.



dum IO. DAN. AB OHELENSCHLAGER <sup>l)</sup> ait, profecta, ut Vasalli, quum bellum aduersus dominos agitent, ne violasse fidelitatem viderentur, feudum verbis refutarent, re ipsa retinerent. Neque immerito ea de re iam Henricus, Episcopus Leodiensis, in epistola ad Vibaldum, Abbatem Corbeiensem et Stabulensem, inter Vibaldinas num. 279 conquestus est: *Comes Namurcensis, nescimus, quo rumore regiae debilitatis, venenosa factione aliorum Principum, in nos, et ecclesias nostras fuerit. Praemissis dilectionis et fidelitatis nuntiis, et subsequenter eadem hora, nuntio Effestuationem domini nostri deserente, Cinei, nostram dominicalem villam, adhuc ista legatione infecta, penitus succendit.* Quod quidem exemplum iam IO. IAC. MASCOVIUS <sup>k)</sup> et IO. DAN. AB OHELENSCHLAGER <sup>l)</sup> adduxerunt, atque plura DAV. GEORG. STRVBENIVS <sup>m)</sup> et, quos hic laudauit, PEZIVS, SCHANNATVS, BEEHRIVS, BVDERVS nec non SENKENBERGIVS commemorauerunt. Quem abusum ut tolleret Imperator Carolus IV. in Aurea Bulla *Tit. XIV. §. 1* fanciuit, ne ratio refutationis habeatur, nisi Vasallus feudum re ipsa resignauerit. Adeo nonnunquam in ipso contractu feudali oportuit cauere Vasallos, se feudum non refuturos, id quod IO. IAC. MASCOVIUS <sup>n)</sup> probauit exemplo Comitum Waldeccae, qui, quum anno MCCCCXXXVIII Comitatum Landgraviis Hassiae in feudum offerrent, promiscere <sup>o)</sup>, *Ihre Gebreye Edle Mann darum zu seyn, und zu verbleiben, unaußgesagt.* Hac cautione vsi sunt Domini directi, ut impedirent, quominus feuda intempestiue atque dolo refutarentur.

## II.

*An liceat Dominium directum refutare? Appropriationis feudorum in expressam et tacitam diuisionem.*

Per hanc autem consolidationem, quemadmodum Domini fortunas suas interdum insigniter auerunt, ita contra Vasallis quoque appropriatio passim proficua fuit variaque commoda attulit. Nam si Vasallus possessio-

i) In der neuen Erläuterung der goldenen Bulle, §. 76. pag. 297.

k) In Libr. de iure feudorum cap. XIV. §. 9. Not. 1.

l) c. 4.

m) In den Nebenstunden I. Th. IV. Abhandl. §. 5. et in Obseruat. iur. et histor. Germ. Obs. II. §. 5. pag. 458. 473.

n) c. 1.

o) ap. IO. CHRIST. LÄNGIVM in Corp. iur. Feud. Tom. II. pag. 1678.



feffionem rei feudalis, tanquam allodialis per triginta annos bona fide  
 continuauit Dominoque feruitia et inueftiturae impetrandae necessita-  
 tem, quantumuis non negligenti, fed potius exigenti, ob assertam qua-  
 litatem allodiam, et opinione, se rem proprietatis iure et a nexu fide-  
 litatis feruitorumque prorsus liberam tenere, negauit, acquiescente ea  
 in re Domino, sicuti tunc in possessione feudi, tanquam allodii con-  
 flitui rei que plenum dominium acquirere potest, vt sic feudum finiat, et  
 in allodium per praescriptionem extinctiuam mutetur, quod omnino  
 fieri potest, nulla feloniae exceptione Vasallis obstante, cum hic dolus  
 et culpa Clientis prorsus deficiant atque insuper negligentia Domini  
 eiusque tacita renunciatio per tempus lege definitum continuata, loco  
 tituli habeatur, vitiumque erroneae possessionis penitus purget, id  
 quod GODOFR. DAN. HOFFMANNVS <sup>a)</sup> egregie docuit: ita, quando  
 Dominus in fauorem Vasalli dominium refutat, ei que proprietatem  
 cedit, siue gratis, siue pro pecunia illa cessio facta sit, inita eam ob rem  
 vtriusque mutua conuentione, aut etiam inuito Vasallo, quippe quod  
 Domino vtique permissum, quoniam dominium illius a iure Vasalli  
 plane non pendet, feudum etiam in allodium mutatur. Nam et si IAC.  
 BORNIVS <sup>b)</sup> existimat, inuito Vasallo Dominum feudum refutare non  
 posse, cum Vasallus, cuius fortasse interfit, vt res in eodem statu ma-  
 neat, quo porro defendatur, cogi nequeat, vt Dominum a fidelitate  
 et defensione sibi debita inuitus dimittat, et ius eam exigendi alienet,  
 dum refutatio feudi semper alienationem inuoluat, ad quam nemo adigi  
 possit <sup>c)</sup> ipseque HOFFMANNVS <sup>d)</sup> in eam sententiam inclinare videtur,  
 vt statuatur, voluntaria atque vnilaterali Domini renunciatione Vasallo  
 ius quaesitum aufferri non posse, propter ea, quod a contractu feudali  
 sine consensu Vasalli Domino aequae minus ac Vasallo recedere liceat,  
 quandoquidem quicquid mutuo consensu conuentum sit, id non alio,  
 quam eodem mutuo consensu iterum dissolui possit, nihilque tam natu-  
 rale sit, quam eodem modo vnum quodque dissolui, quo colligatum est  
 L. 35. D. de Reg. Iur. quae regula etiam Principem obliget, quippe qui

contra-

<sup>a)</sup> In Diss. de Appropriatione feudorum, §. 6, pag. 11.

<sup>b)</sup> In Diss. de transmutatione feudi in allodium.

<sup>c)</sup> L. 11. et 14. Cod. de contrah. emtion.

<sup>d)</sup> c. 1. §. 9. pag. 12.



contrahens iure privato utatur: omnino tamen Dominum etiam inuito Vasallo refutationem dominii sui directi peragere posse GABR. SCHWEDERVS <sup>e)</sup> SAM. STRYCKIUS <sup>f)</sup> IO. CASP. HORNIUS <sup>g)</sup> GEORG. LYDOV. BOEHMERVS <sup>h)</sup> atque alii docuerunt, innisi potissimum auctoritate textus *II. F.* 38. e quo argumentantur, quicquid Vasallo licet, id etiam utique Domino directo debere permittum esse. Et cum Domino liceat adeo inuito et non consentiente Vasallo dominium directum alienare, modo is, in quem illud transfertur, sit Dominus maioris vel aequalis dignitatis, vel territorium, cui annexum est dominium directum alienetur, vel Vasallus simul sit subditus, qui etiam ad iusiurandum subiectionis praestandum obstrictus est, quemadmodum id fieri solet in terris, ubi Landfassatus vsu obtinet <sup>i)</sup>, quidni etiam possit dominium refutare Vasallo ipsi sine huius consensu, ita ut hic illud pleno iure consequatur? Profecto quae rationes Domino potestatem largiuntur sine Vasalli consensu dominium directum alienandi, eae multo magis efficient, ut illi liceat in hunc ipsum, licet inuitum, licet haud consentientem, dominium directum transferre. Hinc nec incongrue interpretes appropriationem feudi in tacitam atque expressam diuidunt. Prioris generis appropriationi HOFFMANNVS <sup>k)</sup> etiam derelictionem annumeravit. Existimat enim, Vasallum quoque pleno iure feudum possidere incipere, quoties Dominus ei defensionem negavit atque protectionem, talique facto suae obligationi contrario animum derelinquendi Vasallum suum declaravit. At nescio, quomodo huius rei exemplum in Prussia inuenire et contendere voluerit, eam denegato Equitibus Ordinis Teutonici contra Polonos auxilio ac defensione Germanorum, ab illis appropriatam esse. Nam etsi Prouinciam hanc ab Equitibus Ordinis Teutonici occupatam, feudum Imperii fuisse, IAC. GABR. SCHWEDERVS <sup>l)</sup> et NICOL. HIERONYMVS GYNDLINGIUS <sup>m)</sup> statuunt: constat tamen, et est iam dudum ab aliis <sup>n)</sup> ostensum, Prusos

e) de appropriatione feudi.

f) Exam. iur. Feud. cap. XXII. §. 14.

g) In Iurispr. Feud. cap. XXII. §. 5.

h) Princip. iur. Feud. Lib. I. Sect. III. c. 2 §. 368.

i) DIETR. HERM. KEMMERICH in iur. Publ. Lib. VII. cap. 16 §. 11.

k) c. I. §. 6 pag. 11.

l) In iur. Publ. Part. gen. Sect. I. cap. 14 §. 37.

m) ad Cocceii Jurispubl. prudent.

n) Cf. IO. IAC. MASCOVII Princip. iur. publ. Imp. Lib. II. cap. 2, §. 47. et IAC. HENR. OBLII Diss. sub titulo: Prussiae in libertatem assertae



los ipsos originarie sui iuris fuisse, nec Germanorum nec Polonorum regno obnoxios. Ex eo autem, quod ordo Equitum Teutonicorum inuitatus ad auxilium ferendum a Conrado, Masouiae Duce, eos bello subegit, probari non potest, ex hac Ordinis Teutonici acquisitione, partum simul Imperio supremum in Prussiam dominium esse, propterea quod eam certe in feudum non obtulit Imperio, neque sub Maximiliano I. in Circulorum numerum referri passus est. Et cum ipse Reccessus Imp. de anno *MDXII. P. 2. §. 26.* iuribus Imperii contrarius videatur, e cuius verbis: *Den Hochmeister in Preußen belangend — nachdem — noch nicht wesentlich: ob der Hochmeister sich als ein Glied zum Reich thun wolle oder nicht?* certe conicere licet, dubitasse tunc adhuc Ordines in Comitibus de nexu Prussiae cum Sacro Romano Imperio: dici profecto non poterit, hanc Prouinciam, nexu cum Germania liberatam, quippe in quo haud fuerit, et ab Equitibus Teutonici Ordinis, qui auxilium Germanorum aduersus Polonos implorauerant, sed nihil, nisi liberalia verba impetrauerant, quasi appropriatam fuisse.

### III.

*Adducuntur exempla Prouinciarum, in quibus appropriatio feudorum contigit; Diuisio appropriationis in plenam et minus plenam, atque huius in restrictiuam et conditionatam.*

Quamquam vero Io. IAC. MASCOVIVS <sup>a)</sup> scribit, ingentem passim rei feudalis mutationem per eiusmodi appropriationem contigisse, neque negari potest, varia, quae hic et illic nonnunquam illius obuenerunt exempla, eam mutationem admodum luculenter demonstrare: haud tamen existimandum est, feuda haec vbique, vbi in allodia transmutata sunt, ita appropriata fuisse, vt Domini directi iuribus suis dominii directi cunctis, quae haecenus in feudis exercuerunt, prorsus se abdicarent, eaque Vassallis ita in patrimonium concederent, vt fidelitate et obli-

*asserit specimen, quo probatur, eam nunquam illo titulo, Imp. Romano fuisse subiectam Praefide HEINECCIO Halae 1740, defensa, nec non eiusdem ORLII Diss. de actibus Imp. Rom. Germanici in Prussiam possessoris falso venditoris Regio-*

monti 1741. habita. Itemque SAMUEL. FRANC. GRÜTNERI Diss. Praefid. SELERO de Prussia nunquam et nulli tributaria, Gedani 1741. ad colloquium publicum exhibita.

<sup>a)</sup> *Libr. de feud. Imp. cap. XIV. §. 4.*



obligatione nexuque Vafallitico omni remiffis; ea pleniffimo dominii iure poffidere, de iisque pro lubitu, tam inter vivos quam mortis cauffa difponere valerent, neque vlla amplius in iis iura, praeterquam fuperioritatem territorialem, et ne hanc quidem femper, fibi competere declararent. Eiusmodi enim appropriationes raro a Dominis directis decerni, et plerumque pecunia admodum multa impetrari folere, *DAN. GEORG. STRVBENIVS* <sup>b)</sup> obferuat. Neque profecto obfcure hoc colligitur licet ex exemplis nonnullis appropriationum, quae paffim obuenerunt. Ita quidem pars Pruffiae ea, quam *Albertus I.* e Marchionibus Brandenburgicis a *Sigismundo Poloniae Rege* anno *MDXXV.* in feudum hereditarium, titulo Ducis in Pruffia, acceperat, et hunc qui fecuti funt Pruffiae Duces, femper tanquam feudum Poloniae recoguerant, ex illo nexu clientelari dimiffa et fine vltiori erga priftinum Dominum directum Rem publicam Poloniae fuit appropriata, pofteaquam fuperiori fecculo *Fridericus Wilhelmus Marchio Brandenburgicus Elector* fupremum ius in illo Ducatu, per pactum *Vclauienfe* anno *MDCLVII.* a *Polonis* obtinuit: a quo tempore Ducatus ille non modo plane independenter ab omni fuperiore poffeffus, fed ita quoque pleniffime liberatus eft, vt adeo illius filius *Fridericus I.* anno *MDCCL.* regium tandem nomen fibi affereret, quem et *Imperator Leopoldus* pro rege agnouit. Et in *Angliae* regno fub *Carolo II.* fublata fere omnis feudalitas et praedia militaria, fuae a Rege fiue ab aliis data, paucis tantum exceptis, remiffis feruitiis aliisque oneribus inde originem ducentibus, in patrimonium conceffa, et prorfus incaffum tum pro retinendis feruitiis et prifca feudorum forma *FABIANVS PHILIPPVS* <sup>c)</sup> librum fcripfit, quem iam *IO. IAC. MASCOVIVS* <sup>d)</sup> laudauit. Per Imperium autem, vbi etiam paffim feuda appropriata funt, non folum nominatim in *Bohemia* circa annum *MDCXLVI.* *Imperator Ferdinandus III.* vt *Bohemiae Rex*, feuda per circulum *Ellenbogensem* fita tanquam allodia confignari in cataftris Regni iuffit, quemadmodum ex illius declaratione, quae apud *IO. CHR. LÜNT-*

<sup>b)</sup> in den *Rechtlichen Bedenken T. II. No. 38.*  
<sup>c)</sup> fub titulo: *TENENDA NON TOLLEND.A,*  
*or the neceffity of Preferving Tenures in capite,*  
*and by Knight's-Service etc. Londini 1660. 4.*

<sup>d)</sup> *Lib. de iure feudorum cap. 14. §. 4. Not. 1.*  
*cf. etiam W. BLACKSTONII Vermifchte Abhand-*  
*lungen pag. 144.*



LÜNIGIVM <sup>e)</sup> extat, intelligimus, sed et in Ducatu Silesiae Imperator Iosephus I. feuda Landfascica omnia vniuersi Principatus Briegenfis, ob merita et nummos Principi solutos, exemplo prorsus singulari, vertitit in allodia reduxitque ad pristinam indolem patrimoniam, dato Vasallis eam in rem anno MDCCV. peculiari priuilegio, quod apud IO. PETR. DE LVDWIG <sup>f)</sup> et IO. CHRIST. LÜNIGIVM <sup>g)</sup> legitur, et simul appropriationis plenissime indultae formulam continet. Deinde illustre quoque eiusmodi plenissimae appropriationis exemplum de anno MDCCVII. habemus, quo Elector Palatinus Comiti de Wartemberg omnia bona et feuda, quae is in Palatinatu possedit, eo effectu appropriauit, vt postea Comes eo nomine, tanquam immediatus, postquam bona ista in Comitatum fuerant erecta, ius sessionis ac suffragii in Collegio Comitum et Comitibus Imperii nancisci posset, id quod docent verba, quae in Diplomate Erektionis, quod habetur *in der Staats-Canzley* <sup>h)</sup>, ita sonant: *Nach glaubwürdiger Darthung beschehener Erlassung der Lehnbarkeit über die vorher von Chur-Pfaltz zu Lehen ruhende Stücke u. s. w.* Reliqua eius bona etiam fuerunt exenta a Corpore Nobilitatis *und werden nunmehr zu der Allodial und freyen Herrschaft Wartemberg gerechnet.* Vt taceam exempla appropriationum in Prouincijs Würtembergicis ab Eberhardo Comite anno MCCCCLXIX. nec non ab Eberhardo Duce anno MDCCCL. peractarum, quae GODOFR. DAN. HOFFMANNVS <sup>i)</sup> adduxit et documentis idoneis probauit. At vero statim Historia Lotharingica supeditat illustre exemplum appropriationis, quam non plenissimam dixerim. Nam etsi per transactionem inter Ferdinandum I. Romanorum Regem et Antonium Lotharingiae Ducem initam et ab Imperatore Carolo V. confirmatam anno MDXLII. Ducatus Lotharingiae, qui antea sacro Romano Imperio de iure subditus esse censebatur, ab hoc nexu ita liberatus est, vt pro libero et non incorporato Ducatu et Principatu ac superioritate (vel *souuerainen Staate*) reputaretur, nec porro ab Imperatoribus et Imperio in feudum reciperetur; hoc tamen simul conuenitum est, vt reseruatō Sacro Romano Imperio iure collectandi, di-

B 2

Eus

e) in *Corp. Iur. Feud.* Tom. II. pag. 191.

g) von der Landfascf. Ritterfeh. I. Theil.

f) in *Reliqu. Manuscript. med. aevi* Tom. VI. pag. 90.

h) Tom. XIII. pag. 797. seq.

i) c. l. pag. 52. seq.



etus Ducatus ferat, atque persoluat ratam suam portionem, de omnibus et quibuscunque taxis et contributionibus, quae imponentur, aut concedentur a Statibus Imperii, quod est tertia parte minus, quod vni Principi Electori imponitur, quemadmodum pluribus hoc cognoscitur ex ipsis verbis transactionis, quae apud IO. IAC. SCHMAVSSIVM <sup>k)</sup> extat. Neque in prouinciis Regis Prussiae nexu feudalisi ita penitus sublatus videtur, vt Dominus directus cunctis domini sui iuribus omnimoda ratione se abdicasse, atque feuda haec Vasallis prorsus in patrimonium et plenissimo iure, quod a Regis voluntate in posterum plane non pendeat, neque vlli amplius oneri, aut pecuniariae praestationi obnoxium sit, possidenda dedisse dici possit. Nam etsi Rex Fridericus Wilhelmus in Marchionatu Electorali Brandenburgico, Ducatu Magdeburgico et Principatu Halberstadiensi omnia feuda, sicubi non superferunt duo in feudo, ex quibus soboles sperari possent, in allodia transformauit, possessores tamen eorum pro equis equestribus singulis et loco seruitiorum feudalium annum canonem quadraginta Imperialium praestare tenentur, quo velut haec seruitia redimunt, adeo vt etiam hoc multi praefertim Magdeburgici Ducatus Vasalli aegre ferrent, et, quemadmodum IO. CHRIST. A DREYHAUPT <sup>l)</sup> retulit, renitentur eamque ob rem Imperatoris eiusque Senatus Imperii Aulici auxilium implorarent, dicentes, mutationem illam repugnare Constitutionibus, Obseruantiae Imperii, Pacis Westphalicae Sanctioni, Ordinis Equestris libertati et priuilegiis ac iuribus, quae maiores ipsorum in Ducatu Magdeburgico ante cessionem Domui Brandenburgicae factam exercuissent, sibi que ex Pacis Westphalicae dispositione salua atque illibata manere conseruarique deberent. Monuit etiam Augustissimus Imperator Carolus VI. Rescriptis dehortatoriis anno MDCCXXII. die 23. Dec. et MDCCXXIV. die 9. Nouembr. nec non anno MDCCXXV. Kalendis Mart. quod posterius IO. IAC. MOSERVS <sup>m)</sup> euulgauit, emissis, Regem vt a tali proposito desisteret et consilium appropriandi abiiceret. At Rex nihilofecius rem prorsus ex sua voluntate perfecit, proposita ta-  
 men

k) in Corp. Iur. publ. Acad. pag. 110. seq.

l) in der Beschreibung des Saal-Creysses im 1. Theile im 6. cap. §. 17. S. 543.

m) von der Deutschen Lehens-Versetzung Lib. III. cap. 17. §. 3. pag. 847. seq.



men Vasallis formula securitatis, qua spondit, hanc feudorum in allodia mutationem fieri salvo cacteroquin iure atque ordine successio- nis eorum, qui aut simultanea inuestitura in iis praediti sunt, aut po- testate reluendi ea gaudent, quam formulam modo laudatus LÜN- GIVS <sup>n)</sup> exhibet. At vero id ipsum rursus declarat, possessorum li- bertatem de feudo disponendi esse restrictam, cum contra iura succe- dendi agnatorum et simultance inuestitorum pactaque familiarum nihil profus immutare queant, sed omnia integra relinquere debeant. Vnde interpretes appropriationem in plenam siue absolutam, et minus plenam, atque hanc iterum in restrictiuam et conditionatam diuidunt. Cuius conditionatae appropriationis exempla haud rara occurrerunt superioribus seculis et istis potissimum temporibus, quibus dissidationes et bella priuata Germaniam nostram adhuc vexabant, quandoquidem e. g. feudo castri forsitan appropriando conditio plerumque adiecta est de castri talis muro et munimentis funditus destruendis nulloque in posterum tempore reaedificandis, cuiusmodi exemplum fuit HOFF- MANNVS <sup>o)</sup>, e quo discimus, Eberhardum Comitem Württembergiae anno MCCCCLXXXIX. Hospitali Ehingeni castrum Hohensteußlingen, feudum Württembergicum a Iohanne Spethio emtum, hac apposita con- ditione appropriasse. Saepe numero etiam Vasallis a Domino tribuitur facultas de feudo libere disponendi sub conditione, vt in posterum ea ipsi praesent, quae haecenus praesiterunt. Hinc nec incongrue Io. CASP. HORNIVS <sup>p)</sup> scribit: *Transmutatio feudi in allodium in his terris non adeo infrequens est. Plerumque tamen ita fit, vt domino illa maneant salua, quae ipsi ex feudo sunt praeslandae.* Nec infrequenter appropriatio feudorum ita fieri solet, vt Domino canon, quem sibi reseruauit, prae- setur, feudo quippe in praedium emphyteuticum mutato, aut etiam praedio natura feudi masculini adimatur idque in feudum censuale transformetur, cuius varii generis, quo feuda in allodia transmutari solent, formulas in litteris inuestiturarum passim occurrentes DAV.

B 3

GEORG.

n) in *Corg. iur. Feud. Tom. II. pag. 839. sqq.* vbi asecuratio Vasallis in Eleçtorali Marchiona- tu Brandenburgico data profat. Quam vero Rex Vasallis Halberstadiensibus dedit asecurationem anno 1721. eam idem fuit LÜNGIVS von der

*Landsaestigen Ritterschaft Tom. I. pag. 1114. et etiam ELECTA IVR. PUBL. P. X. pag. 879.*

o) *e. l. in Adiunct. Num. IV.*

p) in *Iurispr. Feud. cap. 4. §. 41.*



GEORG. STRUBENIUS <sup>q)</sup> annotavit. In his autem posterioribus speciebus, quemadmodum haud deprehendas omnimodae feudorum in allodia transmutationis exempla, ita appropriatio plenissime indulta semper coniuncta est cum absoluta abdicatione et renunciatione omnium iurium, quae dominio directo insunt, et quae id operatur, ut Vasallo non tantum fidelitatis servitiorumque praestatio et obligatio ac nexus Vasalliticus adeoque necessitas legibus feudalibus parendi et Domini clientelarem iurisdictionem in se agnoscendi penitus remittantur, sed et ipsum feudi dominium directum ita Vasallo in posterum possidendum tradatur, ut illud plenissimo allodii iure cum omnimoda super eo disponendi facultate teneat, nihilque prorsus proprietatis et iurium, quae inde promanarunt, apud Dominum remaneat. Difficillima quidem eiusmodi appropriatio est in feudis Germaniae Principum minoribus in eorum territorio sitis, et vix locum habebit, nisi liquidissime de ea constet, cum Vasallus plerumque simul sit subditus, neque solum fidelitatis feudalis vinculo, sed etiam subiectionis nexu Domino obstrictus teneatur, quandoquidem in eorum territoriis Landsassiatius valet, ita, ut qui ibi feuda possident, ea non aliter, quam cum subiectione et tanquam subditi territoriales teneant ad iusiurandum subiectionis aequae ac alii subditi praestandum obligati. Cui quidem supremo territorii iuri Domini terrarum haud facile volentes renunciant. Et si vel maxime formulae talis factae appropriationis amplissime fuissent extensae, semper tamen tacita conditio ineffe censetur, feudum nihilo minus superioritati territoriali manere subiectum, licet hoc expresse non sit conuentum. Semper enim, quemadmodum Interpretes Iuris Publici observant, pro superioritate territoriali, in cuius possessione haecenus Dominus fuit, praesumptio militat, ita, ut qui forte Dominum illi renunciasse allegat, id probare debeat. Quod enim Dominus Vasallum liberauerit ab obligationibus, quae ex contractu beneficiario descendunt, ex eo non sequitur, ut cum quoque e nexu territoriali dimiserit, cum obligationes inde promanantes reales sint, et principaliter praedio inhaerant. At vero in feudis extra Domini directi territorium sitis, aut etiam in iis, quae Dominus priuatus territoriali superioritate destitutus

<sup>q)</sup> c. l. Num. 38. pag. 145. cf. SIM, PETR. GASSER, de feudo sub formula Erbgoth.



tutus largitur, eiusmodi plenissimæ appropriationi locus omnino esse posset, si Dominus eam aut tacite fieri permisisset, aut cum Vasallo ea de re expresse pactus fuisset. Appropriationem autem inuoluere alienationem, tam certum atque expeditum est, ut nec fugiat eos, qui vel medioeriter Clientelaris Iuris disciplinae operam nauarunt. Quod saltem Dominum directum attinet, ea tam euidentis ac manifesta est, ut res omni penitus careat dubitatione et prorsus oporteat ignarum esse notionis, quæ cum appropriatione coniuncta est, eum, qui id negare sustineat. Dominus directus enim per appropriationem dominium directum in Vasallum transfert, eique proprietatem, quam in feudo habuit, cedit, numerum Clientum suorum et curiam feudalem minuit, atque remittendo nexum beneficiarium a speciali illa fidelitate, cuius præstandæ necessitatem leges feudales Vasallis imponunt, hominem penitus liberat. Mouit quaestionem GODOFR. DAN. HOFFMANNVS <sup>r)</sup>, an etiam ex parte Vasalli alienatio contingat, et ait, licet dubium hoc videri possit, cum per appropriationem ius Vasalli crescat, isque adiecta sibi proprietate patrimonium suum auget: tamen cum etiam in hac specie Dominus a fidelitate reciproca, quam Vasallo antea debebat, liberaretur, et hic iuri defensionem a Domino exigendi per illam renunciaret, hoc respectu omnino statui posse, etiam ex parte Vasalli alienationem intercedere. Quod quamquam HOFFMANNO facile largimur, si id de Vasallo, qui Domini directi non simul subditus est, intellectum velit, quem facta appropriatione omnino deficiet facultas a Domino directo fidelitatem reciprocam atque protectionem exigendi, rupto quippe atque soluto clientelari vinculo, cuius solius necessitas adstringebat Dominum tuendi ac defendendi Vasallum: longe aliter tamen pronuntiandum esse putamus in ea specie, ubi sermo est de Vasallo, qui Domino directo tanquam simul subditus paret, illiusque superioritatem in se territorialem agnoscit, etiam post factam appropriationem, aut quoniam ipse in illius territorio commoratur, aut saltem bonâ in eo sita possidet, cum is alio adhuc titulo protectionem atque defensionem exigendi potestate gaudeat.

r) c. 4. §. VIII.



## IV.

*Num appropriatio feudi indigeat successoris in Dominium directum consensu, ita, vt neglecto hoc aliquando impugnari possit?*

*Appropriatio feudi sub et obreptitie impetrata an a successore Domini reuocari queat?*

Haud vacat iam vniuersam appropriationis indolem atque naturam copiose exponere, aut varios illos adferre modos, quibus ea fieri soleat ac celebrari. Nec instituiam disquirere, an in eam consentire debeant, quibus ius est succedendi in feudum, si illius appropriatio non contingeret. Totam enim hanc differendi prouinciam dudum occuparunt, qui hoc argumentum de industria tractauerunt IACOB. BORNIVS <sup>a)</sup>, IAC. GABR. SCHWEDERVS <sup>b)</sup> nec non GOD. DAN. HOFFMANNVS <sup>c)</sup>, qui accurate obseruant, eam non solum gratis, sed et saepe numero cum onere Vasalli fieri et aut per contractum, siue nominatum siue innominatum, aut etiam per vltimam voluntatem nonnunquam, in feudo tamen antiquo aut nouo iure antiqui concessio nulla tenus aliter, nisi cum agnatorum, in iisque locis, vbi simultanea inuestitura obtinet vsu, simultanee inuestitorum consensu suscipi ac celebrari posse. Est potius nobis solum modo animus hoc libello excutere de industria quaestionem, vtrum ad feudi appropriationem etiam opus sit consensu successoris in dominium directum, si eam aliquando agnoscere et ratam habere debeat, an forte eam impugnare atque adeo rescindere possit, veniente demum successionis casu, ideo quod cum Vasallus, qui eiusmodi appropriationem postulauit et impetrauit, tum Dominus directus, qui eam fecit, aut saltem fieri permisit, non solliciti fuerunt de illo successoris in dominium directum consensu obtinendo, sed eum potius insuper habuerunt atque neglexerunt. Quam quidem quaestionem hactenus neque peculiari libello a quoquam expositam, neque ab iis, qui in vniuersum materiam de appropriatione feudorum explicauerunt, ita expeditam reperi ac decisam, vt res omnis penitus confecta dici posset. Videntur mihi potius adhuc nonnulla in hoc argumento superesse, quae

a) Diss. de transmutatione feudi in allodium.

b) Diss. de appropriatione feudi c. 2. §. 4-12.

c) c. 1. §. 20.



quae omnino vberiore illustrationem expectent et in clariori luce collocari mereantur, vt profecto laboris non adeo superflui aut inutility suscepti argui possit, qui huic rei plenius paulloque diligentius tractandae operam ac studium impenderit. Neque enim existimandum est, ad quaestionem hanc confestim et sine mora congrue et principiis iuris beneficiarii adcommodata atque conuenienti ratione responderi posse, ita, vt eam in uniuersum aut neges absolute, aut absolute afirmes. Variarum potius hoc loco species veniunt contemplandae, quae omnes non vniam eandemque, sed vna quaeuis fere aliam planeque peculiarem et ab altera diuersam decisionem ac finitionem exposcunt, quae semper secundum causarum, quae hic emergere possunt, praecipuam diuersitatem potissimum temperanda est. Eo autem magis disquisitio haec, an feudi in allodium transmutatio siue appropriatio successoris in dominium directum consensu et auctoritate indigeat, necessaria videtur, quo certius est, ab illius accurata expositione etiam pendere potissimum decisionem quaestionis, vtrum liceat successori Domini directi praetermissio atque neglecto hoc consensu rescindere appropriationis negotium, an hoc nihilofecius ratum ac firmum haberi, neque vllatenus impugnari aut inualidum declarari possit, si vel maxime consensus ille haud requisitus fuerit? In vniuersum quidem omnino affirmandum est, quod et GODOFR. DAN. HOFFMANNVS <sup>d)</sup> obseruauit, appropriationem a successore Domini directi, siue consenserit in eam, siue non consenserit, rescindi atque reuocari posse, si ea per narrationes sub et obreptitiis fuerit impetrata, qui casus existere possent, si Vasallus feudum appropriari volens, ne lites propter meliorationes oriantur, in libello supplice, quem eius rei causa Domino directo obtulit, se habere heredes feudales negaret, et sui desiderii compos factus sit, feudumque in allodium transmutatum ex hac falsa narratione impetrauerit. Nam cum peractam hanc feudi appropriationem ipse concedens, si eam sub et obreptitiis impetratam precesque Vasalli veritate haud nifas, sed sibi potius impositum esse, resciuisset, reuocare potuisset, multo magis flatuendum est, successori in dominium directum, qui postea compertum habuit, antecessori suo fraudem hac in re factam esse, hoc appropriationis negotium

d) c. 4. §. 18.



negotium rescindere licere. Perquam commode enim ad eiusmodi speciem applicari possunt Imperatoris ZENONIS <sup>e)</sup> verba: *Vniuersa Rescripta, siue in personam precantium, siue ad quemlibet iudicem manauerint; quae vel adnotatio, vel quacuis pragmatica sanctio nominentur, sub ea conditione proferri praecipimus, si preces veritate nitantur: Nec aliquem fructum praecator oraculi percipiat impetrari, licet in iudicio adserat veritatem, nisi quaestio fidei precum Imperiali beneficio monstretur inserta.* Quibuscum plane conueniunt, quae ALEXANDER III. <sup>f)</sup> Pontifex Cantuariensi Archiepiscopo expresse rescripsit, in literis nempe Pontificum semper hanc conditionem, etiam si non apponatur, si preces veritate nitantur, intelligendam esse. Quamquam vero haec in proposita specie omnino ita se habent, vehementer tamen se falleret, qui successori in dominium directum potestatem reuocandi factam ab antecessore feudi appropriationem semper tribuendam esse statueret, aut appropriationis negotium ideo, quod sine eius consensu susceptum esset, irritum atque inualidum declarare vellet. Tantum enim abest, ut hoc sine vlllo discrimine propugnari possit, ut potius diuersitas cum dominii directi ipsius, tum eius, qui in illud succedit, tum etiam situs feudorum cum maxime attendenda veniat, in hac quaestione excutienda, nisi manifesto aduersus genuina iuris clientelaris principia peccare velis, id quod tamen omnino fieret, si huius diuersitatis nulla plane, aut certe non satis accurata ratio haberetur.

V.

*Num ad appropriationem feudorum opus sit successoris in Dominium directum consensu, si hoc dominium allodiale sit?*

Ac primum quidem statim hoc loco monendum est in decidenda hac quaestione, an successoris in dominium directum consensus necessarius sit ad appropriationem feudi, si ea valida ac rata esse debeat, neque successionis demum casu veniente reuocari possit, non parum referre, vtrum dominium feudi directum allodiale an feudale sit. Haud video

GODOFR. DAN. HOFFMANNVM <sup>a)</sup> huius discriminis satis accuratam ratio-

<sup>e)</sup> *L. ult. C. de dit. Princ. rescript.*      <sup>a)</sup> *c. l. §. 18.*  
<sup>f)</sup> *cap. 2. X. de Rescript.*





rationem habuisse, id quod tamen omnino ab eo fieri debuisset, cum neglecta hac inter vtrumque dominium directum distinctione res, comode expediri vix videatur posse, siquidem illa ipsa dominii directi diuersitas diuersam quoque propositae quaestionis decisionem exigat. Quod si enim dominium hoc allodiale est et absque vilo beneficiario nexu habetur, quoniam possessor illius id neque ab alio tanquam feudum datum neque tanquam feudum oblatum recepit, sed plenissimo proprietatis et patrimonii iure tenet eius, qui in illud succedit, consensu ad feudum in allodium transmutandum et Vasallo pleno dominii iure permitendum prorsus non opus erit, propterea quod certo constat, possessorem dominii directi allodialis liberrima de eo disponendi potestate gaudere, ita vt illud quocunque modo alienare et in quemcunque velit pro lubitu transferre valeat, quemadmodum licet omnibus aliis, qui allodialia bona eorumque non restrictum sed liberum, quod a nullius alius voluntate simul pendet, dominium possident. Vnde etiam extra dubitationem positum est, appropriationem feudi, cuius dominium directum allodiale est, reuocari a successore in illud non posse aut rescindi, si vel maxime in eam haud consenserit, cum hic illud tanquam allodialis heres nanciscatur per successionem allodiam aut legitimam aut testamentariam aut pactitiam, quae in allodiali dominio directo, haud secus ac in aliis allodialibus bonis, obtinet. Quomodo enim successor mutationem hanc feudi in patrimonium sub obtentu prohibitaee alienationis, impugnare possit, aut irritam declarare, qui viuo adhuc Domino directo clientelam in Vasallum proprietatis iure transferenti resistere ac intercedere haud valuit, sed ob plenam ei in hac re competentem potestatem hoc negotium aequo animo ferre debuit, quoniam ei facultatem alienandi, quam semper appropriatio feudorum inuoluit, auferre haud potuit. Profecto non parum detraheret iuri Domini directi hoc dominium allodiale possidentis, qui id ab eo non nisi tunc demum, si successor consensum suum interposuerit, alienari posse, statuere auderet. Nam heredem allodiam, cum hereditatem hanc soli beneficio vltimi defuncti acceptam ferat, oportet contentum esse rebus illis, quae ipsi adhuc ex ea obueniunt, et cum in vniuersum antecessorem suum, quominus integrum patrimonium alienet, prohibere, et quae is viuis adhuc de bonis suis alienauit, post mortem ipsius reuocare ac retrahere prorsus nequeat,



ideo nec comprehensum sub iis allodiale dominium directum fortasse alienatum atque in Vasallum translatum rursus poterit vindicare. Facta enim defuncti antecessoris agnoscere atque praeflare tenetur. Haud equidem negauerim interdum nec permissum esse Domino directo allodiale dominium directum in Vasallum patrimonii iure transferre, si id fortasse comprehensum esset allodialibus bonis, quae familiae hoc pacto acquisita sunt, ut perpetuo penes eam manere debeant, quemadmodum hoc contigit in bonis auitis, quae si a primo eorum acquirente, aut etiam ultimo gentis <sup>b)</sup> discefferis, liberae disponendi facultati cuiusvis possessoris haud subsunt. Atque in hac quidem specie translationis domini directi allodialis in Vasallum cedens omnino eorum, qui successio- nis iure in illud dominium fruuntur, consensum in hoc negotium requi- rere deberet, cum alioquin neglecto hoc ipsorum consensu hanc cessio- nem et appropriationem feudi, veniente demum successio- nis casu, rescindere possent, dum illis inuitis neque consentientibus ius in hoc do- minium directum numero auitorum bonorum comprehensum succeden- di ex pactis et prouidentia maiorum acquisitum eripi nullatenus queat. At extra hanc speciem haud dubie appropriatio feudi, cuius dominium directum mere allodiale est, etiam sine consensu successoris peracta, rata erit, neque ab eo propter neglectum hunc suum consensum poterit re- vocari. Haud eadem ratio est domini directi feudalis, et magnopere a vero aberraret, qui in vniuersum contendere vellet, successoris in hoc dominium directum in appropriationem feudi consensu prorsus non opus esse, sed illum nihilofecius ratam habere oportere eiusmodi feudi in allodium transmutationem, ita ut sine vilo discrimine eam reuo- care nequeat, si vel maxime in eam haud consensisset. Cum enim do- minium directum feudale in nexu feudali alterius habeatur, siue posses- sor illius antea ex allodio suo id alicui oblatum ab eo deinceps in feu- dum receperit, siue illud statim ab initio nunquam aliter, nisi sub feudi lege, et tanquam feudum datum recognouerit, omnino in excutiendo hoc argumento longe aliter rationes subducendae et in auxilium simul vocanda erunt tum principia iuris illius singularis, quo successio in feu- dum regatur, et quae a successione hereditaria multum abhorrent, tum

maxime

b) SAM. FRID. WILLENBERG in *Diff. de iure ultimi gentis*.



maxime illa successorum in feuda potestas, quam ipsis leges beneficiariae tribuerunt, sibi iam in antecessum prospiciendi de iure ex pactis et inuestitura maiorum, aut etiam simultanea impetrato in feudum succedendi conferuando, neque fortasse per eiusmodi feudi appropriationem, quae nunquam sine alienatione intelligitur, amittendo. Neque enim successores in dominium directum feudale aequo animo ferre poterunt, minui atque ipsis eripi iura sua succedendi in hoc dominium feudale directum ex pactis et prouidentia maiorum acquisita atque vel ex inuestitura primi acquirentis, in qua comprehensi sunt, vel etiam ex simultanea inuestitura oriunda, id quod tamen omnino fieri necesse esset, cum per feudi in allodium mutationem possessio dominio se abdicet idque Vasallo cedat adeoque hinc aliquid, quod successoribus quondam futurum esset, alienet. Quamuis vero existimari posset, successoris in dominium directum feudale consensum omnino accedere debere ad feudi appropriationem, cumque aliquando, nisi consensisset, eam rescindere posse, cum dominium hoc iure feudi censetur, feuda autem non aliter quam consentientibus agnatis, aut simultanee inuestitis, ubi nempe inuestitura simultanea obtinet vsu, alienari atque in extraneos transferri possint: tantum tamen abest, ut hoc in vniuersum statui queat, ut potius hic contemplandum veniat discrimen aliquod inter eos, qui in dominium hoc directum clientelare succedunt. Aliam enim decisionem res postulat, si sermo est de eo, qui iure hereditario et titulo vniuersali subnixus succedit, et rursus aliam, si de eo tantum loquimur, qui iure proprio atque feudali tituloque singulari succedit. De quibus singulis nunc accurate dispiciendum erit.

## VI.

*Num. appropriatio feudorum indigeat consensu eius, qui iure hereditario in Dominium directum feudale succedit?*

Initium dicendorum faciamus ab eo, qui iure hereditario in dominium directum feudale succedit. Atque huius quidem consensu in appropriationem feudi aeque minus, ac successoris in dominium directum al-



allodiale opus esse existimamus. Nam cum is, qui iure hereditario succedit, defuncto ita succedat, ut, quemadmodum recte GEORG. AD. STRYVIVS <sup>a)</sup> animaduertit, causam successionis a defuncto habeat, vel ipsi defuncto proxime in ius ab ipso siue secundum legem, siue secundum dispositionem hominis sibi relictum transeat, eiusmodi autem successor facta, obligationes et conuentiones antecessoris sui praestare teneatur, omnino etiam appropriationem feudi ab eo factam ratam habere debet, si vel maxime sine eius consensu peracta fuisset, neque ullo modo eam veniente aliquando successionis casu sub obtentu neglecti sui consensus poterit infringere atque debilitare. Neque enim hic in ea re potiori iure gaudet, quam is, qui in dominium directum allodiale succedit. Vnde etiam plane non opus erit, ut filii atque nepotes patri aut auo in dominium feudi directum feudale succedentes consensum in feudi in allodium transmutationem praebent, nec ex causa irrequisiti ipsorum consensus, eam impugnare valebunt, sed securus omnino talis possessor de pleno dominio praedii sui erit, cui demta qualitate feudali Dominus directus sine descendantium suorum consensu iura plenissimae allodialitatis, ut hoc vocabulo utar, largitus est. Cum enim descendentes, quando in feudum succedunt, non possint abstinere ab hereditate allodiali, sed aut vtrumque retineant, aut vtrumque repudient, uti textus iuris feudalis Longobardici <sup>b)</sup> ait, quo iure etiam hodiernum in plerisque locis, id quod Perillustr. GEORG. LVD. BOEHMERVS <sup>c)</sup> auctoritate nobilissimorum interpretum probauit, adeoque in ipsa Saxonia <sup>d)</sup> vtimur, quando quidem antiquum Ius Germanicum <sup>e)</sup>, quod filio facultatem allodium repudiandi, salvo feudo, dedit, hodie non obtinet, nisi vbi id speciali obseruantia seruatum esse doceri queat, manifestum est, eos, si dominium directum, quod ipse pater sub lege feudi possedit,

<sup>a)</sup> in *Syntagn. iur. Feud.* cap. II. §. 9. Num. 1.

<sup>b)</sup> II. Feud. 45. cf. CAR. AD. L. B. DE BRAVN *Abh. Ob der Sohn das Lehn behalten und die väterliche Erbschaft fahren lassen koennt?* in FEUD. AVO. SCHOTTI VIII Illustr. *iurist. Wochenblatts Part. II.* Num. 1. et BERN. FRID. RVDOLPH. LAVHNI *Vir Illustr. Comment. von der Lehnsfolge der Soehne mit oder ohne Allodial Verwoegen in den Saechsischen Lehen.* *ibid.* P. III. No. 7.

<sup>c)</sup> *Princip. iur. Feud. Lib. I. Sect. x. cap. 8.* §. 140. *Not. c.*

<sup>d)</sup> *Const. Sax. Elector. P. II. const. 47. add. Erledigung der Landesgebrechen de anno 1661, Tit. von Justizsachen* §. 71.

<sup>e)</sup> *Ius Feud. Sax. cap. 55. Ius Feud. Alenap. cap. 83. 89. et 98. §. 2. Io. TOR. REINHARDT Observ. ad Christiani Decii. Vol. I. Obs. 52.*



possedit, successione iure capere volunt, parentis quoque heredes al-  
 lodiales et hereditarios successores fieri debere, atque ideo ad facta illius  
 praestanda obstrictos esse, eamque ob causam nec appropriationis nego-  
 tium a patre susceptum, etiam si in illud non consenserint, ratum ha-  
 bere oportere, neque vlatenus inualidum reddere posse. Neque aliud  
 obtinet, quando agnati eius, cui in dominium feudi directum feudale  
 succedunt, simul heredes allodiales sunt facti. Nam etsi agnati, si here-  
 ditas allodialis ultimi Vasalli iisdem simul deferatur, hac repudiata,  
 feudum, si paternum siue antiquum fuerit, retinere possunt, quemad-  
 modum textus II. F. 45. expresse dicit, et IAC. GABR. SCHWEDERVS <sup>1)</sup>  
 copiosius exposuit, quod si tamen allodium hoc non respuunt, nihilo-  
 fecius ratam habere debent appropriationem feudi ab antecessore suo  
 peractam, neque villo modo poterunt impugnare atque rescindere,  
 quantumvis in eam consensum suum haud interposuerint. Cum enim  
 heredes defuncti sint facti, omnino etiam ad facta eius praestanda tenen-  
 tur. Quamquam vero haec in vniuersum ita se habent, haud tamen  
 ideo dixerim, ea semper etiam vsu tam constanti obtinere, vt non in-  
 terdum res exceptionem pati possit. Nonnunquam enim pacta familia-  
 rum Dominis directis simul imperantibus fortasse arctiores limites posue-  
 runt, eoque ipso cuiusque successori liberiores sine suo consensu alie-  
 nata reuocandi facultatem concesserunt, quod GODOFR. DAN. HOFF-  
 MANNVS <sup>2)</sup> vel exemplo Ducatus Württembergici confirmavit, vbi per  
 Leges fundamentales, fideicommissa et ipsum erectionem Ducatus,  
 vnió et integritas eius publica Imperatoris et Imperii auctoritate stabili-  
 ta, atque sic contra quamuis alienationem ei satis prouisum fuit. At  
 vbi eiusmodi peculiari dispositiones Dominis directis potestatem alie-  
 nandi dominium suum feudi directum feudale haud ademerunt, haud  
 dubie locum obtinebunt, quae de obligatione successorum allodialium  
 in illud ratam habendi eiusmodi alienationem sine horum consensu per-  
 actam modo disputauimus.

<sup>1)</sup> In Diss. de iure agnatorum in feudo, §. 37.

<sup>2)</sup> cit. Diss. §. 18.



*An et quando opus sit ad appropriationem feudorum consensu eius, qui in Dominium directum feudale iure proprio et titulo singulari succedit.*

Longe vero aliter res se habet, si fermo sit de eo, qui iure proprio tituloque prorsus singulari succedit, quo nomine venire solet is, qui causam succedendi non habet ab eo, cuius successor existit, sed a primo acquirente, et cui ex pacto atque providentia maiorum, iure sanguinis, vel ex coinvestitura, vel etiam ex electione aut postulatione successio in dominium feudi directum feudale defertur. De eo enim haud ita pronuntiandum erit. Interim tamen hic rursus distinguendum erit, vtrum quis dominium directum feudale tanquam feudum hereditarium et alienabile, an tanquam novum et quidem mere tale, aut etiam novum iure antiqui concessum, an demum tanquam prorsus antiquum teneat? Deinde etiam attendendum, vtrum ius successoris singularis simul sanguinis et agnationis coniunctione, aut simultanea investitura, an fortasse prorsus peculiari et proprio titulo, qui vel in electione vel in postulatione continetur, nitatur? Qui dominium directum feudale tanquam feudum hereditarium et alienabile tenet, illius quidem successor non debet in feudi appropriationem consentire, nec poterit eam successione aliquando sibi delata ex causa consensus ab ipso haud impetrati reuocare. Cum enim in illo libera tum inter vivos tum mortis causa disponendi facultas possessori relicta sit, etiam sine consensu Domini, qui suo contradicendi iuri statim per ipsam litterarum investiturae formulam renunciauit <sup>a)</sup>, omnino etiam ius consentiendi in appropriationem et translationem domini directi in Vasallum volente Domino faciendam ab ipso solo cedente pendeat, cuius praecipuus effectus, libera nempe alienatio iam antea Vasallo competiit. Nec agnati quidquam perdent, quorum quippe a prima inde feudi constitutione nulla habita ratio est, sed arbitrio cuiusque possessoris permittum, vtrum feudum agnato, an vero prorsus extraneo relinquere velit? Neque aliter sentiendum de successore

a) II. F. 48.



cessore in dominium directum feudale, quod quis sub lege feudi noui tenet. Nam cum in tali feudo agnati aut etiam filii non habeant proprie ius quaesitum, sed tantum eo vsque duraturum, quousque feudalis contractus Dominum inter et Vasallum subsistit, a quo, si vtriusque consensu recedatur, et ius illorum inde oriundum desinat, et appropriato tali feudo, ordo succedendi allodialis et libera de eo disponendi facultas, superinducta qualitate feudali hucusque adempta, possessori illius restituatur: omnis plane causa deficit, cur agnati successores in eiusmodi feudale dominium directum, qualitate feudi noui praeditum, postulare, vt in appropriationem illius consensus ipsorum rogetur, et sub obtentu huius haud interpositi, cam, veniente successionis casu, rescindere possent. Enimvero de eo, qui in dominium directum feudale, quod ipsum tanquam feudum antiquum aut etiam tanquam nouum, iure tamen antiqui concessum, possidetur, titulo singulari et iure proprio succedit, alia omnia statuenda sunt. Nam cum is iure gaudeat ad feudum non appropriatum recipiendum in eo statu, quo a stipite respectu Domini appropriantis et sui, nempe Vasalli succedentis, communi erat transmissum, et possessor Dominus, neque suis, neque Vasalli agnatis, facto suo possit praecudicium inferre<sup>b)</sup>, eiusmodi successoris singularis consensu omnino opus esse existimamus ad feudum in allodium transmutandum, si possessor feudi appropriati et in patrimonium conuersi illud tuto sub allodiali qualitate tenere, neque in periculum venire velit amittendi allodii praerogatiuam praedio suo tributam, si, mortuo Domino appropriante, successor in dominium directum feudale, delata sibi aliquando successione, totum hoc appropriationis negotium ideo, quod in illud non consensit, neque consensus eius rogatus sit, rescindere velit, quam facultatem ei negare, aut prorsus abiudicare Leges atque vniuersa ratio Iuris Feudalis minime patiuntur. Nihil enim certius est, quam hoc, agnatorum Domini directi ius succedendi in dominium directum feudale, quod tanquam feudum antiquum, aut tanquam nouum, iure tamen antiqui concessum, habetur, in vniuersum aestimari diiudicarique debere secundum principia, quae

<sup>b)</sup> GEORG. AD. STRYVIUS in *Syntagm. Iur. Feud.* cap. XIII. §. 16. Num. 1.



Ius Feudale de successione agnatorum in has species feudorum stabilivit. Iam vero cum agnatorum et simultanee inuestitorum ipsius Vassalli, in quem Dominus directus feudum antiquum aut etiam nouum iure antiqui concessum plenissimo patrimonii iure conferre cupit, consensus in hanc appropriationem necessarius sit, adeo, vt neglecto hoc totum illud negotium irritum foret, propterea, quod agnati in feudo antiquo ex pacto et prouidentia maiorum ius quaesitum habent ad feudum quatale, delata ipsis successione, consequendum, eodemque ipso iure gaudent in feudo nouo iure antiqui concessio, quippe quod naturam feudi antiqui profus induit, ita, vt eadem ipsa commoda agnatis competant, quae ipsis concessio feudi antiqui largitur, quae iura Dominus abdicatione sua nulla ratione deterius reddere aut infringere, multoque minus iis plane adimere potest; facile intelligitur, etiam dominii directi, quod quis sub lege feudi antiqui aut etiam noui, iure tamen antiqui concessi, tenet, alienationem, quam semper appropriatio inuoluit, agnatorum et simultanee inuestitorum consensu indigere, nec sine eo valide suscipi, saltem agnato successori in eiusmodi dominium directum, ob neglectum ipsius consensum, facultatem reuocandi, cessionem illam haud denegari posse. Ita enim fert natura feudi antiqui et noui iure antiqui concessi, vt quoniam neutrum sine agnatorum consensu alienari possit, ideo nec sine eo appropriatio illius fieri, aut certe respectu eorum nullam auctoritatem nascisci queat, quandoquidem neque Dominus neque Vassallus sua sola voluntate impedire possunt, quominus feudum perueniat ad eas personas, ad quas natura sua et feudalitate haud sublata alioquin transiturum fuisset. Neque enim agnatis villo modo debet ius succedendi ipsis inuitis infringi aut eius persecutio difficilior reddi. Quod et adeo certum est, vt agnati non solum statim ab initio et re adhuc integra appropriationem celebrandam exigendo cautionem a Vassallo hoc negotium meditante, vel si haec non praestetur, compossessionem<sup>e)</sup> feudi petendo, et nisi per hanc illa sistatur, a superiore, si quis adsit, per inhibitoriales et Mandata sine Clausula, quemadmodum IAC. GABR. SCHWEDERS<sup>d)</sup> docet, reprimere ac plane impedire, sed etiam peracta iam

appro-

e) *Libr. I. §. 1. D. de Carbon. edit.*

d) *In Disput. de Appropriat. feudi. cap. II. §. 9.*



appropriatione, delata ipsis successione, et vt primum ordo succedendi eos ad feudum vocat, eorumque iura viuentis Vasallo eiusque prole adhuc quiescentia reuiuiscunt, actione reuocatoria intra triginta annos experiri possint ad praedium tanquam feudale recipiendum, vt appropriatio haec in praedictum Domini et Vasalli valida iterum cesset, praediumque licet vterius alienatum, illis in pristina qualitate, nullo refuso pretio, restituatur. Quid quod etiam agnati facta appropriatione, licet succedendi ordo eos nondum tetigerit, si possessor feudum appropriatum alienauerit intra annum a die scientiae impetratae, illud iure retractus repetendi facultate gaudeant <sup>e)</sup>, quo tamen casu pretium refundere debent. Quae cum ita sint, haud dubitamus cum GODOFR. DAN. HOFFMANNO <sup>d)</sup> pronunciare, agnatum successorem, nisi consenserit in feudi in allodium transmutationem, ad eam ratam habendam stricto iure non teneri, licet caeteroquin haud inficiemur, interdum, si praesertim appropriatio haec vel ob benemerita et vera quidem non ficta in Dominum directum simul principem et patriam concessa, vel titulo pariter reuera oneroso a Vasallo redimatur, neque curia clientelaris maiorem in modum per illam diminuatur, aequitatis et generosi animi esse videri, vt eiusmodi dominii directi abdicatio a successore confirmetur, quod etiam subinde factum esse, neminem latet. Caeterum facile etiam HOFFMANNO largimur, raro dari eiusmodi reuocationis casus, propterea, quod agnati successores, quamuis ius succedendi iure proprio habeant a primo acquirente, plerumque etiam, tanquam heredes allodiales, simul in allodia vltimo defuncto succedunt, adeoque facta antecessoris sui tam diu praesare tenentur, donec feudi ab allodio separatio fiat. Haud tamen ideo dixerim, nulla prorsus eiusmodi reuocationis allodificationum exempla occurrere. Constat potius et docuit experientia, ea omnino nunquam obuennisse. Obseruauit enim IO. VLR. L. B. DE CRAMER <sup>g)</sup> atque ex eo IO. IAC. MOSERVS <sup>h)</sup>, Fridericum Wilhelmum Ducem Megapolitanum lineae Suerinensis appropriationes feudorum ab antecessore

D 2

e) H. F. 26. §. Titius cf. GEORG. ADAM. STRVVIVS c. 1. cap. XIII. §. 18. Not. 3.

g) in den Wetzlarischen Nebenstunden T. CIV. pag. 505.

h) von der Teutschen Lehnverfassung III. B. 17. cap. §. 5. S. 850.

f) c. 1. §. 18.



cessore suo in regimine peractas reuocasse. Ille nempe Princeps, posteaquam Gustavo Adolpho ultimo Duce Megapolitano lineae Güstroviensis anno MDCXCV. sine mascula prole mortuo, post diremtam anno MDCXCVII. a Senatu Imperiali Aulico litem <sup>1)</sup> inter ipsum eiusque patrum, Adolphum Fridericum II. Strelitziensem obortam, cum ille Fridericus Wilhelmus ius primogenituræ indeque pendentem linealem successione, hic vero proximitatem gradus in argumentum ducerent, quorum utriusque litigantium fundamenta complectuntur Deductiones occasione huius controuersiae illustris editae, a IO. FRIDERIC. PFEFFINGERO <sup>2)</sup> laudatae, qui et ipse rationes singulas, quibus uterque Princeps nitentur, breuiter commemorauit, terris Ducatus Güstroviensis tanquam agnatus et successores singularis potitus erat, mox post regiminis aditum omnes possessores praediorum in eo Ducatu sitorum titulum possessionis edere iussit, et magnam multitudinem appropriationum ab antecessore suo factarum revocauit. Hinc etiam quidam Laurentius a Blucher, cum anno MDCCII. confirmationem appropriationis praedii sui, Gutzkow, quod iure allodii sibi concessum esse aiebat a Duce Gustavo Adolpho, cuius litteras de anno MDCXCIV. die 27. Octobr. datas ex Actis in causâ Molzahniorem contra Blucherum ad Celsissimum Camerae Caesareae Imperialis Iudicium per prouocationem delata, IO. VLTRIC. CRAMERVS <sup>3)</sup> exhibuit, peteret, loco eius, postquam impetratae de eo a Duce Gustavo Adolpho appropriationi renunciauerat, decretum de praedio hoc in feudum masculinum ipsi conferendo a Duce Friderico Wilhelmo, et paulo post ipsas litteras inuestiturae feudalis obtinuit. Haud quidem dici potest, hanc ipsam feudi appropriationem submotam esse tanquam talem, quae statim ab initio a curia Clientelari nulliter

<sup>1)</sup> vid. litteras Imperatoris Leopoldi ad Directores Circuli Saxoniae inferioris exaratas, quibus possessio Ducatus Güstroviensis Friderico Wilhelmo adiudicata declaratur ap. IO. FRID. PFEFFINGERVM ad PHIL. REINH. VITRIARIJ *Inst. Iur. Publ. Lib. I. Tit. XVI. §. 10. lit. m. Tom. II. pag. 47.* ubi et alia exhibentur ad ordines Provinciales litigiosi Ducatus missae, quarum tenorem etiam IO. CHRIST. LÜNIGIVS *in*

*Tutsch. Reichs-Archive, Contin. II. Part. Spec. IV. Abtheil. Sechster Abschnitt §. 31. pag. 592.* suppeditat.

<sup>2)</sup> ad PHIL. REINH. VITRIARIJ *Inst. Iur. Publ. Lib. I. Tit. XV. §. 13. lit. uvo. p. 1259. sqq. et Tit. XVI. §. 10. lit. m. Tom. II. pag. 47.*

<sup>3)</sup> *c. l. pag. 506.*





nulliter atque inualide peracta fuisset. Expresse enim in litteris inuestiturae dicitur, Bluchero praedium Gutzkow in feudum masculinum concessum fuisse; *Nachdem er der von Hertzog Gustav Adolph darüber erlangten Allodialität renünciiret.* Vnde etiam Molzahniorum, qui de hoc feudo factam olim appropriationem impugnabant, eamque per has litteras inuestiturae tanquam statim ab initio nulliter ac sine iure impetratam contendeabant, petitioni locum non esse Iurisconsulti Erfordienses, anno MDCCLX. pronunciarunt, quam sententiam et Camera Imperialis confirmavit, quemadmodum videre est apud CRAMERYM <sup>m)</sup>, qui ytramque sententiam euulgavit. Cur autem Blucherus acquisito allodialitatis iuri renunciare praediumque sub feudi lege recipere consultum duxerit, illius rei causam ipse hanc reddidit, quod Dux Fridericus Wilhelmus multas allodificationes reuocauit a Gustavo Adolpho Duce factas, quae in praecidium successorum in dominium directum peragi haud potuissent. Quod autem ad successorem attinet, qui titulo prorsus singulari ac proprio, qui vel in electione vel postulatione continetur, dominium directum acquirit, an illius consensu in appropriationem feudorum opus sit, vix videtur quaeri posse. Neque enim sciri facile potest, quis in Archiepiscopum aut Episcopum aut Praelatum eligatur aut postuletur et dominium directum feudorum ecclesiasticorum cum beneficio ecclesiastico coniunctum natus sit, nisi iam viuo Praefule electus sit Adiutor, qui illi mortuo in Praelaturam succedit, et territorium ecclesiasticum quodque ei inhaeret dominium directum feudorum ad ecclesiam spectantium titulo beneficii obtinet. Itaque etiam eiusmodi singularis successor in dominium directum ex causa neglecti eius consensus appropriationem ab antecessore factam reuocare haud poterit. Quod si tamen Praelatus feuda ecclesiastica patrimonii iure in Vafallos transtulisset, id quod ipsi sine capituli consensu non est permiffum, cum talis feudorum in alodia mutatio redeat alienationem, quae absque solemnitate ecclesiastica in rebus ecclesiae, quarum numero feuda ecclesiastica haud dubie etiam censentur, cum in re ecclesiastica constituantur, locum non

D 3

obtinere

<sup>m)</sup> c. l. pag. 505.



obtinere n), quemadmodum ipsa ecclesia, ad quam dominium directum horum feudorum spectat, quodque ipsi inuitae adimi nequit, hanc appropriationem, mortuo aliquando Praelato, rescindere poterit; ita etiam successor Praelatus in dominium suae potius prodominium directum, nisi ipsa ecclesia iam iure hoc suo usa fuisset, potestate illam reuocandi omnino gaudebit. Neque aliter pronunciamus de eo, qui in prodominium feudorum succedit, quae vniuersitas, aut familia quaedam, aut respublica conferre solent. Quod si enim Praedeceffor in prodominio directo sine vniuersitatis, familiae aut reipublicae consensu appropriationem feudorum suscepisset, id quod ipsi non licet, cum dominium directum horum beneficiorum non ipsius proprium, sed potius penes has personas morales sit, successor in hoc prodominium, nisi iam ipsa vniuersitas, familia et respublica appropriationem hanc aut viuo adhuc prodomino, aut statim post ipsius mortem, antequam nouus Prodominus electus est, irritam declarassent, reuocare poterit.

VIII.

*Appropriatio feudorum indiget consensu successoris in Dominium directum, si feuda extra territorium sita sunt.*

Supereft adhuc, vt tandem etiam disquiramus, quantum ad decidendam propositam quaestionem ipsa diuersitas situs feudorum referat. Haud parum enim ponderis fortasse interdum habere poterit ipsum discrimen territoriorum, in quibus feuda, quorum in allodia transmutatio peracta est, sita sunt, omninoque multum conducet considerasse, vtrum feudum appropriatum simul subsit superioritati territoriali Domini directi et Principis appropriantis, an vero in alterius Principis, qui hoc feudum haud concessit, ideoque nec illius Dominus directus est, territorio situm sit? Ac priori quidem in specie facilius transmu-


n) Cf. Tit. X. de reb. ecclesiast. alienand. vel Iur. Eccles. Protest. Tom. II. et quos ad hunc titulum §. 18. pag. 690. auctores laudauit.



transmutatio feudi subsistere poterit, nec a successore in dominium directum reuocari, si vel maxime in eam non consensisset, cum Dominus approprians simul Princeps fuerit et superioritate territoriali gauisus sit super ipso feudo, atque id ipsum, quod curiae feudali per appropriationem ex vna parte decreuit, ex altera parte imperio Domini territorialis eiusque ordinariae iurisdictioni iterum accrescat, praesertim si in litteris appropriationis id expresse fuerit reseruatum, vt ea salua subiectione fiat, vel hoc alias tacite subintelligatur. Posteriori autem in specie, et si feudum in allodium mutatum extra fines territorii Domini appropriantis situm sit, cuiusmodi feuda varia passim in Germania occurrunt, non tantum Statuum Imperii in aliorum Statuum Imperii territoriis sita, sed et Landstassica feuda aliorum Ordinum Imperii potestati territoriali subiecta, quemadmodum Io. IAC. MOSERVS <sup>a)</sup> exemplis probauit, successoris in dominium directum, qui agnatus est, consensum in appropriationem hanc omnino necessarium esse putamus, si in praedictum illius negotium hoc validum esse debeat, ita vt nec ab eo reuocari possit. Vnde etiam neglecto hoc successoris consensu haud dubie ius hanc appropriationem reuocandi illi adscribendum opinamur, hoc tamen obseruato discrimine, quod etiam GODOFR. DAN. HOFFMANNVS <sup>b)</sup> admittit, vt si feudum titulo lucratiuo appropriatum esset, simpliciter, si vero illius appropriatio titulo oneroso contigisset, refuso pretio vel dato eius surrogato, quemadmodum certe argumento textus *II. F. 26. §. 13.* inferunt, illa reuocari possit. Nam renunciatio domini directi et feodalitatis modo renuncianti, non autem iis, qui ad qualitatem rei feudalem ius quaesitum habent, nocere potest, quippe qui potius illud saluum atque integrum retinent, et ad hoc sibi conseruandum cunctis illis beneficiis fruuntur, quae praecepta Iuris Feudalis Vasallum agnatis ad iura sua tuenda ac defendenda largiuntur.

a) *von der Deutschen Lehnverfassung L. II. c. 17. p. 574. et L. III. c. 19. §. 2. seq. p. 853. seq.*

b) *c. 1. §. 19.*

















ULB Halle

3

003 335 402




*Gb.*











10256a  
b.

1787, 18.

DE  
APPROPRIATIONE FEVDORVM  
SINE CONSENSV SVCCESSORIS  
IN DOMINIVM DIRECTVM  
NONNVNQVAM INVALIDA

ILLVSTRIS IVRIS CONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO RAV

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET FACVLTATIS IVRIDICAE  
ASSESSORE TITVLORVM DE VERBORVM SIGNIFICATIONE ET  
DIVERSIS REGVLIS IVRIS ANTIQVI PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS  
IN VTROQVE IVRE OBTINENDO

AD D. XXII MARTII A. C. N. CIOIDCCCLXXXVII

D I S P V T A B I T

CAROLVS FRIDERICVS CARL  
ADVOCATVS ELECTORALIS SAXONICVS

LIPSI AE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

*Sp. Simonius Will. Schmitt  
vna Gießh. 1818*